

tur, cum ait: *sacrificium impiorum abominatio est, quia cum scelere adducitur.* Prov XXI, 27. Itemque: *longinquus est Jehova ab impiis, sed orationem justorum exaudit.* Prov. XV, 8. 29. Longinquus nempe est ab impiis, adeoque humano more loquendo vox impiorum ad ipsum non penetrare, neque aures DEI afficere potest. Cum econtra *propinquus sit Jehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus, qui invocant ipsum in veritate; voluntatemque timentium ipsum faciat, clamorem ipsorum audiat & eos servet.* Psam. CXLV, 18. 19. Quare & frequenter in V.T. legitur, quando Israëlitæ ob enormia peccata vel peste vel exilio vel bello vel devastatione vel calamitatibus aliis à DEO puniti fuerunt atque ad preces publicas privatasque, non animo sese emendandi, (cum in miserorum exactiõibus, in oppressiõibus viduarum & innoxio sanguine fudendo ab inveterato more ne hilum quidem remisissent) sed spe obtinendæ fortunæ melioris, preces suas ad DEUM ablegarunt, DEUM exauditionem precum, tanquam à malæ fidei oratoribus profectarum simpliciter ipsis denegasse. Ita apud Elaiam: *quando expanditis manus vestras, occulto oculos meos à vobis & quamvis multiplicaveritis orationes, non audiam vos, quia manus vestrae sanguine plene sunt.* c. I, 15. Alibi hoc gravioribus verborum momentis exaggerat. *Ego, inquit, agam in excandescencia mea; non parcat oculus meus, nec utar clementia, etsi vocabunt in auribus meis voce magna, non tamen exaudiam eos.* Ezech IX, 18. Et ne fusa aliorum delictorum exprobratione, ob quæ preces eorum exaudire non possit DEUS, præcipue Mich. III, 1. 2. 3. 4. prolixior fiam, brevis est, sed emphatica Divini Numinis sententia: *sicuti clamavi ego, nec audiverunt illi, ita & illi clamabunt, nec audiam ego.* Zach. VII, 13.

XI. Præterea IV. precum indoles & natura in sacris iis cum attributis & proprietatibus describitur, quæ prorsus sunt singulares & nobilissimæ, quibus si destituantur, precum nomine sint indignæ. Debent enim preces à Spiritu S. originem ducere, neque *verus* orator est, nisi *qui Patrem adorat in Spiritu & veritate,* Joh. IV, 21. 22. qui ideo Spiritus תחנוני, *precum & deprecationum* appellatur, Zach. XII, 10. non tantum quia per eundem *clamamus & precamur Abba Pater,* Rom. VIII, 15. sed & quia sine illo ne quidem *Jesum Dominum dicere,* nedum invocare possumus, 1. Cor. XII, 15. imo nec sine illo scire possumus, quid precari debeamus, nisi ipse infirmitatem nostram sublevet, Rom. VIII, 26. Debent ex animo contrito & vere *pœnitent-*